

Scribitur autem quælibet fractio hoc modo. Denominator directò sub Numeratore, interiecta lineola quadam inter vtrumq; numerum, collocatur. Vt tres quintæ partes hoc modo scribuntur,  $\frac{3}{5}$ . pronunciatürque vterque numerus in recto, primo tamen loco Numerator. Vt dicta Minutia ita proferenda est; Tres quintæ. Hæc, vero  $\frac{25}{48}$ . ita, Viginti quinque quadragesimæ octauæ, significatque, totum aliquod diuisum esse in quadraginta octo partes æquales, & viginti quinque ex illis acceptas esse.

Fractio quæuis, quo pacto scribatur, & pronuntietur.

Oriuntur plerunque numeri fracti ex residuo diuisionis integrorum numerorū. Quando enim aliquid in diuisione remansit, fit ex illo Numerator fractionis, cuius Denominator est diuisor, vt supra diximus. Vt cum diuiduntur 46. per 7. Quotiēs est 6. supersuntq; 4. Fit ergo huiusmodi fractio.  $\frac{4}{7}$ . ita vt totus Quotiēs sit  $6\frac{4}{7}$ . Item quando minor numerus per maiorem proponitur diuidendus, gignitur fractio, cuius numerator est numerus diuidendus, Denominator autem diuisor. Vt si diuidenda sint 4. per 7. fit fractio  $\frac{4}{7}$ . significatque 4. diuisa esse per 7. ita vt Minutia hæc  $\frac{4}{7}$ . sit septima pars huius numeri 4. Pars inquam, denominata à diuisore 7. Quemadmodū enim diuisis 12. per 3. inuenitur numerus 4. qui tertia pars est numeri diuisi 12. Pars, inquam, à diuisore denominata; ita etiā cum diuidimus 4. per 7. fit Quotiēs  $\frac{4}{7}$ . qui septima pars est numeri diuisi 4. Pars inquam, denominata à diuisore. Eadē ratione quælibet alia Minutia pars est numeratoris à denominatore denomi-

Fractio-nes vnde oriuntur.

Quando minor numerus per maiorem diuiditur, fit fractio.

Fractio quæuis est pars Numeratoris à Denominatore denominata.